QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA

2

PROPOSITA
AB ILLUSTRISSIMO VIRO
D. D. JOANNE ASTRUC

Regis Consiliario & Medico, in almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ Professore Regio Dignissimo, Regiæ Societatis Scientiarum Socio.

SUB HAC VERBORUM SERIE.

An Fistulis Ani Chirurgica Sectio?

Quam Deo duce, & auspice Dei-parâ propugnabit FRANCISCUS TEXIER Nontronensis, apud Petrocorios, Artium Liberalium Magister, Almæ Universitatis Consiliarius, & jam dudum Medicinæ studiosus, in Augustissimo Monspeliensis Apollinis Fano, die mensis Februarii anni 1718. ab hora octavâ ad meridiem

Pro primâ Apollinari Laureâ consequendâ.

MONSPELII,
Apud JOANNEM MARTEL, Regis, Universitatis Cleri & Urbis Typographum.

M. DCC. XVIII.

DISPUTATURI.

PROFESSORES REGII.

R. D. Franciſcus Chicoyneau, *Cancellarius & Judex.*

R. D. Joannes Bezac, Decanus.

R. D. Petrus Chirac *Sereniſſimi Principis Regni adminiſtratoris archiater.*

R. D. Antonius Deidier.

R. D. Petrus Rideux.

R. D. Antonius Magnol.

R. D. Jacobus Chaſtelain.

R. D. Henricus Haguenot.

DOCTORES ORDINARII.

M. Antonius Fizes.

M. Joannes Pitot.

M. Antonius Artigues.

M. Joannes Rigal.

M. Franciſcus Aſtruc.


R
B
BONNAL . F .

CELSISSIMO AC PRÆPOTENTI
DOMINO DOMINO
CAROLO ANTONIO ARMANDO
ODETO DAYDIE D'ARMAGNAC
EQUITI
MARCHIONI DE RIBERAC ET
CALONGES, COMITI DE BENAUGES,
BARONI DE RIONS ET CUZOR, VICE-COMITI d'Epeluches, Domino de Bernardieres, Montagrier, Moncheüil, &c.
LEGIONIS PRÆFECTO.

POTENTISSIME DOMINE,

MIHI nunquam in mentem venit colendissimi Patris recordatio, quin statim animum quoque subeat favor & gratia, quâ apud Te valebat, atque singularis illa benevolentia, quâ Eum dùm in vivis esset, prosequi dignatus es. Quemadmodùm enim Ille Tibi semper fuit addictissimus, & ad obsequia quæcumquæ paratus, sic Tu illi semper Patronus & Amicus, præsidium & dulce decus fuisti. Quapropter Ego Paternis insistens vestigiis, me totum Tibi devoveo, POTENTISSIME DOMINE, in tutamen & patrocinium tuum me trado, ac tandem benig-

nitate tuâ fretus hoc opusculum studiorum meorum primitias Tibi dico & consecro, rude quidèm, nec Te satis dignum; sed, uti spero, veniam à Censoribus facilè impetraturum, si modò laboribus meis favore Tuo adspirare non dedigneris. Hic me lubenter ferret animus, POTENTISSIME DOMINE, laudes Tuas deprædicare, nobilitatem videlicet generis, quam ductis à tot Heroibus Convenarum & Armagnacensium Comitibus: Celebrarem præthereà munera publica, quibus cum tantâ dignitate fungeris: laudarem maximè virtutes proprias, quibus gratiam Regum & Principum tibi conciliasti, urbanamque eam comitatem, quâ omnes humaniter & benignè excipis. Sed ab ejusmodi instituto me deterrent, tùm ipsius Argumenti dignitas & pondus, tùm ingenii mediocritas, tùm demùm eximia Tua Modestia, quâ reliquæ virtutes Tuæ ornantur & complentur. Nunc ergo munusculum hoc Tibi offerre mihi suffecerit, quod accipias rogo, ut publicum venerationis, observantiæ & obsequii Argumentum.

Dabam MONSPELII XII. Calendas Martii.

Tibi observantissimus & obsequentissimus Cliens,
FRANCISCUS TEXIER.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA

AN FISTULIS ANI CHIRURGICA SECTIO.

FISTULA ani, quamquam ab *a* Hippocrate, *b* Celso, *c* Avicenna, aliisque *d* medicinæ principibus olim accuratè descripta fuerit, sæculis tamen proximè elapsis in oblivione ferme jacuit, medicis invisa & inaudita. Factum id ægrotantium pervicaciâ vel prudentiâ potius, qui saluti desperantes morbum, quem insanabilem esse arbitrabantur, taciti celabant. At verò, ubi semel contigit LUDOVICUM XIV. Galliarum Regem

a Libro de Fistulis. *b* Lib. 7. cap. 4. artic. 4. *c* Lib. 3. fen. 17. cap. 19. *d* Rhasis, Albucasis, Brunus, Theodorus, apud Guidonem de Cauliaco, Tract. 4 Doctr. 2. cap. 7.

ſimili affectu tentari, jam inde morbus pervulgatior evaſit, ac repentina Fiſtularum ani multitudo viſa eſt ingruere, cunctis morbum latentem ultrò oſtentantibus in exemplum regis. Sic olim, *e* teſte Plinio, *Tiberii Cæſaris principatu colicus dolor primùm irrepſit, nec Romanorum quiſquam prior Imperatore eam ægritudinem ſenſit*, vel potius ſentire profeſſus eſt.

Quæ igitur quondam occultabantur, jam palam percrebreſcunt ani Fiſtulæ, & inter vulgatiores morbos relatæ ſedula Medicorum conſilia & auxiliatrices Chirurgorum manus, ſæpe poſtulant; unde earum tractatio, quæ non ita pridem inutilis erat, nunc ſcitu digna & cognitu utiliſſima eſt. Quocirca eam diſſerendi materiam nobis aſſumere, & ſi non pro rei dignitate, ſaltem pro virili conficere viſum eſt.

Ut autem inſtituta Diſſertatio recto ordine procedat, diſtinctis articulis ſingulatim trademus, 1°. Naturam, variaſque ſpecies Fiſtularum ani. 2°. Structuram & fabricam tùm ani, tùm adjacentium partium. Inde 3°. Cauſas, 4°. Symptomata; 5°. Diagnoſtica & prognoſtica Fiſtularum ſigna explicabimus: ac tandem 6°. Illa-

e Hiſtor. Natur. lib. 25. cap. 1.

rum therapeiam chirurgicam, pharmaceuticam & diæteticam brevi quidem, ſed quantâ licebit diligentiâ proponemus.

ARTICULUS I.

De Natura & ſpeciebus Fiſtularum ani.

FISTULÆ omnes ad ulcera calloſa & ſinuoſa pertinent: duo ergo eſſentialiter complectuntur, ſinum & callum. Sinus ſine callo ulcus tantùm ſinuoſum, callum abſque ſinu ulcus ſimpliciter calloſum conſtituit, ſed neutrum Fiſtulam: verùm, ut neutrum, ſi diſtinguantur, Fiſtulam unquam facit, ſic utrumque, ſi conjungantur, Fiſtulam ſemper & eſſentialiter efficit.

Ani Fiſtula à reliquis ſolo ſitu differt, quoad cœtera planè compar: debet ergo definiri *ulcus ſinuoſum & calloſum in ano, vel partibus ano confinibus.*

Multiplex eſt Fiſtularum ani diverſitas, ſed quæ tota facile poteſt ad tria capita reduci, 1°. Scilicet variam diſpoſitionem foraminum, quibus pateſcunt: 2°. Variam conformationem ſinuum, quos complectuntur: 3°. Variam naturam ſpeciemque partium, ad quas tendunt.

1°. Quidem Fiſtulam omnem patere conſequens eſt ex notâ ulceris eſſentiâ & ejuſdem differentiâ ab abſceſſu : poſſunt autem ani Fiſtulæ, vel gemino foramine ad rectum inteſtinum & ad nates hinc & inde hiare, vel alterutro tantum : priores, quæ perviæ, *Completæ* : poſteriores, quæ ex alterutrâ parte imperviæ ſunt, *Incompletæ* dicuntur. Solent iſtæ in *Cæcas externas* & *Cæcas internas* ſubdividi : hæ extrorſum occluſæ hiant in podicem ; illæ verò verſus rectum imperviæ ad ani margines vel vicinas partes aperiuntur.

2°. Ut ulcus nullum fiſtuloſum ſine foramine, ſic nec Fiſtula ulla ſine ſinu. Sed 1°. Sinus nunc unicus eſt, nunc multiplex & per varios cuniculos variè anfractuoſus, unde Fiſtularum diviſio in *Simplices* & *Compoſitas*, ſive *Cuniculoſas*. 2°. Sinus modò rectus eſt, modò obliquus, curvus, anguloſus, arcuatus, &c. unde diſtinctio Fiſtularum in *Rectas*, *Obliquas*, *Anguloſas*, *Arcuatas*, &c. 3°. Sinus vel altè in ſubjectas partes penetrat, vel ſuperficiariè ſub cute ſerpit, unde Fiſtularum diſcrimen in *Profundas* & *Superficiarias* ſeu *Cutaneas*. 4°. Demùm ſinus modò podici proximè adjacet in ani ipſo margine, modò longiùs diſtat verſus Nates, Uropygium, aut Perinæum, unde

Fiſtularum *marginalium* vel *non marginalium* differentia.

30. Fiſtuloſum ſinum aliquò tendere neceſſum eſt in partes ano viciniores; illæ autem plures ſunt, Rectum, adeps circumjecta, Uropygium, Nates, Proſtatæ, & Urethra in viris; Vagina in mulieribus, &c. Hinc ergo numeroſa exurgit Fiſtularum ani diverſitas, pro diverſis partibus, ad quas cuniculos agunt.

ARTICULUS II.

De ſtructura ani & adjacentium partium.

ANus, totius corporis cloaca, extremo recti limbo conformatur, quod inteſtinorum infimum & craſſiſſimum oſſi ſacro proximè adjacet in pelvi, & in anum rectà deſinit perpendiculari tramite, unde *Recti* cognomen.

Ut cætera inteſtina, ſic rectum conſtat tunicâ triplici, primâ *extìmâ*, membraneâ, peritonæo congenere, quæ oſſi ſacro & coccygi, ut & pudendis alligatur: alterâ *mediâ*, muſculoſâ, duplici fibrarum ordine, ſpiralium & longitudinalium intextâ, quæ fæcum egeſtioni famulatur; tertiâ tandem

infimâ, tendineâ, ſenſiferâ, plicis pluribus & irregularibus ſulcatâ, glandulis conſitâ numeroſis, quæ vacant muco ſecernendo ad inteſtinorum lubricitatem.

Adeps plurima inter memoratas tunicas interjacet, imò ab extimâ recti parte proſtant appendiculæ plurimæ, membranaceæ, pinguedine farcitæ, quarum extremitates diverſarum figurarum faciem exhibent. Hæc à providâ & utilitatum noſtrarum conſultrice Naturâ videntur in eum finem ordinata, ne recti concava acrimoniâ, aſperitate, aut duritie fæcum læderentur.

Adjacent extremo recto, quale deſcripſimus, muſculi tres diverſis uſibus deſtinati, *primus* circularis, oſſi ſacro, coccygi, peni aut vaginæ, oſſique coxæ, partim fibrarum diſtributione, partim ligamentacearum membranarum adjumento laxè cohærens extremum recti limbum ad tres quatuorve pollices cingit triplicato fibrarum manipulo, & arctè conſtringens involuntariam fæcum egeſtionem præcavet, unde *ani Sphincter*, ſive *Conſtrictor* dicitur.

Reliqui *duo* à pubis, Iſchii, & oſſis ſacri ligamentis exorti inſignem fibrarum faſciculum ad Uterum in fæmineo, ad Penem in virili ſexu dimittunt, & hinc unus ad ſiniſtram, alter ad dextram ſphincteris par-

tem excurrens inteſtino, ut & ſphincteri obliquè inſeritur. Ambo ſimultaneâ contractione anum diducunt ad egeſtionem, quâ finitâ podicem nimio nitendi conatu detruſum in ſedem retrahunt, unde *Levatores* appellantur.

Ambitus ani exterior ſphincteris conſtrictione in plures denſataſque plicas corrugatur; harum confinia numeroſis ſtrata ſunt tuberculis glanduloſis, quæ ſubpinguem, & ſebaceum humorem profundunt, & in ipſo margine obſervantur breves aliquot ductus, aut potiùs *Lacunæ* viſcido humore imbutæ, ſitu & uſu iis ſimillimæ, quæ grandiores & patentiores in cane, fele, muſtelâ, aliiſque quadrupedum plurimis proſtant.

Anus nervos habet ab extremo ſpinalis medullæ: Sanguinem verò à duplici fonte accipit, ab arteriâ meſentericâ infernâ per internam Hæmorrhoidalem, & ab hypogaſtricâ per Hæmorrhoidales externas, utrinque directo & perpendiculari curſu. Hinc refluus cruor, vel ad venam portæ per internam Hæmorrhoidalem, vel ad hypogaſtricam venam per Hæmorrhoidalem externam regreditur, aſcenſu quoque perpendiculari. Demùm lympha, quæ à partis ſubſtantiâ ſcaturit, in minimas Glandulas lymphaticas

ano circumjectas convehitur, velut in prima diverticula, inde vel extrorſum ad inguinales, vel introrſum ad iliacas Glandulas, quæ ſunt è genere conglobatarum, propriis vaſis devehenda.

Hactenus de ano, quem Fiſtula primariò ſolet infeſtare: verùm quoniam docet experientia confines huic partes in mali conſortium ſæpius venire, eas quoque, ſed paucis deſcribere haud abs re viſum eſt. In ſummâ quatuor ſunt, uropygium, clunes ambæ, & in viris urethra peniſque principium cum proſtatis muſculiſque ſuis, in fœminis verò vagina & inferna vulvæ ora.

I. Uropygium, ſeu poſtica clunium pars ſpongioſis & medullaribus oſſibus, ſacro & coccyge coagmentatur. Hujus apice podex alligatur & quaſi ſuſpenditur, at cæterùm recti finis ad antica divergens diſtat à ſacro & coccyge aliquantulo intervallo, quod congeſta occupat pinguedo.

II. Nates, ſi qua alia corporis pars, denſâ carnis mole compactæ ſunt; ſiquidem conſtant glutæis muſculis tergeminis perquam craſſis, quibus, ut ſeſſio mollior ſit, copioſa apponitur adeps, quam in locis ano citimis frequentem eſſe ſuprà vidimus.

III.

III. Urethra canalis eſt in viris oblongus, teres, membraneus, à veſicâ ad extremum penem protenſus, ano ferè conterminus, in principio ſphinctere munitus, inde parietibus ſpongioſis obſeptus, corporibus cavernoſis à parte inferiore oſſium pubis ortis interjectus, & mentulam unà conſtituens. Spatium, quo diſtat à podice, plures occupant muſculi penis erectioni ſeminiſque ejaculationi dicati, ſcilicet *Erectores* & tranſverſi, ab iſchii tubere; *Acceleratores*, à ſuperiore parte urethræ ſub oſſe pubis, & *Dilatatores* ab ani margine oriundi, qui omnes vel in penis latera, vel in intermediam urethram implantantur ad proprios uſus.

Latent ſub hiſce muſculis *ſeminariæ veſiculæ* & *proſtatæ*, quæ ambæ veſicæ collo adſtant, glandulæque *Covvperianæ*, quæ ano confiniores ſunt.

1°. Binæ veſiculæ ſeminariæ totidem ſunt inteſtinula cæca, vaſi *deferenti* ſive *ejaculatorio* continua, in gyros, cellulas, receſſus complicata. Harum unaquæque patet in urethram ſuo ductu emiſſario, qui à congenere ſeparatur interjectu carunculæ in urethræ principio obviæ, quæ *veru-montanum*, ſive *caput gallinaginis* vocitatur.

2°. Proſtatæ numero binæ, figurâ globoſæ, muſcularibus fibris exteriùs obveſtitæ, urethræ circumnatæ, ſub veſicæ collo ſitæ, ſeminariis veſiculis modò deſcriptis immediatè adjacent.

Conſtat unaquæque ſex diſtinctis cellularum aggregatis, ita ut communicantes cellulæ cujuſlibet aggregati per ſua emiſſaria deſinant in unum ſacculum, cui infundunt humorem. Hinc ſacculi duodecim diſtincti ambarum proſtatarum, totidem diſtinctis notabilibus emiſſariis in urethræ cavum hiant, ac ſuprà memorata ſeminalium veſicularum oſtia undique cingunt.

3°. Glandulæ *Covvperianæ*, ſic ab Inventore dictæ, numero binæ, parvæ, globoſæ, acceleratoribus & dilatatoribus muſculis ſuppoſitæ, infra proſtatas lateraliter ſitæ, urethræ utrinque accumbentes, cellulis quoque pluribus conſtant pari modo inter ſe communicantibus, ac ſingula quæquæ vaſe ſuo excretorio, longo, tenui membranaceo, inſignitur, quod obliquo ductu in urethram inſinuatur.

IV. In fæminis vulva anum proximè attingit inferiore ſui parte, & ab eo tenui tantum aggere carneo, ſeu potius iſthmo diſcernitur, qui *Perinæum* muliebre conſtituit. Ibi ſub cute latent glandulæ gemi-

næ, orbiculares, ſatis magnæ, conſtrictorio vaginæ muſculo opertæ, intùs celluloſæ, quæ ductibus excretoriis peculiaribus ad radices caruncularum myrtiformium deſinentibus in vaginæ principium dehiſcunt.

Demùm vagina, quæ inde ad collum uſque uteri protenditur, fiſtula eſt cylindrica, membranacea, ſenſifera, intùs rugoſa, duplici fibrarum ordine exteriùs munita, recto paralella & contigua, à quo ſolâ parietum intercapedine diſcriminatur, unde facilis labis communicatio.

ARTICULUS III.

De cauſis Fiſtulæ ani.

FISTULA ani ulcus eſt; ſed ulcus duas cauſas agnoſcit, vulnera ſcilicet ſuppurantia, & abſceſſus latenter factos: debet ergo Fiſtula ani totidem quoque cauſas agnoſcere, vulnera nimirum ano aut ani confiniis inflicta, & abſceſſus ibidem factos in rectum vel in ani marginem erumpentes.

I. Vulnera ano aut ani confiniis inferuntur, à ſcindentibus inſtrumentis vi adactis. Inde primùm vulnus, dein ubi pus ap-

paruerit ulcus, ac demùm, si malum protrahatur, labrorumque callositas accesserit, ut huic vitio prona est loci natura, Fistula fiet. Raram esse illam causam agnoscimus, sed eam tamen omisisse noluimus, ne qua causarum possibilium deesse videretur.

Idem accidit ex sectione chirurgicâ Fistulæ ani, si ab imperito chirurgo instituatur. Nam vel sinum quempiam brevem prætermittit intactum, vel plagæ angulum citiùs dimittit sine cicatrice, undè latet intùs malum sub obductâ cute, quod in dies serpens tacito progressu Fistulam novam priore pejorem sæpè producit

Potest idem contingere, si cannâ clysteris in anum festinanter & temerè immissâ rectum dilaceretur, quod in junioribus frequentius est, in quibus mollior partium contextus rupturam faciliùs patitur. Sic in puerulo vidimus, si non Fistulam, at saltem sinuosum abscessum in ano genitum ex læso recto intestino à cannâ vi & obliquè intrusâ.

II. Abscessus juxta anum genitus frequentior est Fistularum causa. Eò debent multa revocari, ut *Ecchymomata* in pus versa, suppuratæ *Hæmorrhoides*, *Furunculi*, *Phymata* venereà vel strumosa abscedenl-

tia, *Fici*, *Condylomata*, *Rhagades*, &c. de quibus ſigillatim agere ad plenam Fiſtularum ani Ætiologiam neceſſum eſt.

1°. Ecchymoma ſive ſuggillatio eſt ſanguinis ſub cute effuſi collectio, caloris & inflammationis expers; neque enim profuſus cruor fermentatur in ſuggillatâ parte, ut in phlegmone, ſed craſſus nigerque partis contextum concretus occupat. Duæ ſunt ecchymoſeos cauſæ, ſcilicet partis contuſio, & diſtractio vehementior, quibus, integrâ quidem cute, quæ firmior eſt, ipſa tamen vaſorum capillamenta ſubtùs repentia dilacerantur & latentibus ſciſſuris ſanguinem in partis ſubſtantiam jugiter inſtillant. Hoc utroque modo anum aut viciniores ani partes violari certum eſt; contuſione quidem, à caſu ab altiore loco in clunes, ab ictu gravi ano impacto, ab equitatione citatiore, maximè ſuper durius ephippium: diſtractione verò, ab alvinis fæcibus prætermodùm induratis & vi egeſtis, ut in iis, qui *f*

Nec toto decies cacant in anno,
Atque id durius eſt fabâ & lapillis, &c.

Pudet in eundem cenſum referendam eſſe cinædorum patientiam, ſed tamen in humani generis opprobrium experientia do-

f. Catullus.

cet causam eam esse fistularum ani nimis veram.

Ut autem in cæteris partibus, sic in ano solet ecchymosis feliciter plerumque discuti, sanguisque effusus sensim resorberi: non quidem venis, è quibus prodiit, illæ enim novo sanguinis egressui paterent potius, quam regressui semel effusi: sed lymphaticis vasis juxtà repentibus, in quæ flocci hærentis sanguinis à circumfluâ lymphâ sensim diluti & abrasi confluunt; unde pro colore, quo lympham inficiunt, primò nigrum, dein livescentem, tandem subrufum colorem finitimis partibus communicant, donec finitâ resolutione nativo nitori restituantur.

At verò solet quandoque res paulò seciùs succedere. Si enim iterata partis affectæ contusio, si renovata distractio, si calor nimius, quem sanguis communicat, dum per ecchymoseos confinia difficiliùs circulatur, si vehementior diastole arteriarum juxtà repentium & sanguine tumentium, si systalticus nisus villorum contractilium, quibus suggillata pars contexitur, si febrilis orgasmus, quo sanguinis massa cietur, torpentem sanguinem quassent, agitent, succutiant vehementiùs,

inde aucto heterogeneorum principorum congressu suppuratoria excitabitur incalescentia.

Itaque luctâ eâ intestinâ tenuiores sanguinis partes avolabunt, concidentur crassiores, salia anteà sepulta evolventur, nova producentur fermentatione, uno verbo discussis globulis purpureis, qui volatiliores sunt, & tenuiore lymphâ, gelatinosa tantum seu lymphatica crassior sanguinis portio supererit, sed attrita, subacta, salibus acrioribus fæta, tandem in pus verum conversa: neque enim ex se a pure concocto discernitur, nisi accidentariis iis qualitatibus, quas à fermentatione mutuatur. Eò pacto ecchymosis in suppuratum vertitur; abscessu semel genito in ani confiniis, sinus inde multiplicantur per vicinas partes, labra sensim occallescunt, ac tandem, ubi primùm pus foras proruperit, Fistula manifesta est.

2°. Hæmorrhoides sunt varicum species in ano, vel juxta anum succrescentium. Differunt inter se situ, unde *internæ* aliæ, aliæ *externæ*; figurâ & magnitùdine, unde *majores* aut *minores* sunt, *acinosque*, *mora*, vel *fraga* variè repræsentant; symptomatis variis, unde aliæ *cæcæ*, *apertæ* aliæ; aliæ quæ nullum, aliæ quæ gravem do-

lorem inferunt.

Pendent varices omnes hæmorrhoidales à dilatatione ſumma vaſorum capillarium, quæ ab internis, externiſve vaſiis hæmorrhoidalibus oriunda anum aut ani confinia perreptant capreolorum inſtar. Huic autem dilatationi plura conducunt, ſed quæ ſingula ex mechanicâ partium ſtructurâ repetuntur. 1°. Nempe citatior ſanguinis motus, qui deſcenſu perpendiculari in extrema capillamenta partibus intertexta irruit cum impetu. 2°. Laxior partis textura, quæ adipe tantummodo obſepta, neque ullis fere carneis fibris firmata, ſanguini irrumpenti & dilatationem molienti cedit faciliùs, eundemque morâ ſtagnantem debiliùs exprimit regeritque. 3°, Difficilior cruoris aſcenſus per venas ad perpendiculum diſpoſitas, unde diutiùs ſubſiſtit & retinetur in earundem principiis per anum radicatis. 4°. Denique obices varii, quiſanguinis reditui obſtant, ut fœcum preſſio, ſphincteris conſtrictio, ani corrugatio, quibus venas comprimi, conſtringi, complicari, atque adeò ſanguini regredienti minus patere conſequens eſt.

Inde ergo podicem hæmorrhoidibus ferè

ſemper

ſemper obſideri nequaquam mirum. Illæ; quandiu vel liberè fluunt, vel nullo dolore ægrum excruciant, tolerabiles ſunt; imò non nunquam fluxu periodico ſalutiferæ & quaſi criticæ. At ſi fæcum duritie & aſperitate, ſuccorum defluentium acrimoniâ, ſanguiniſve dyſcraſiâ inflammentur, dolores cient intolerandos, ſolentque non rarò ſuppuratoriâ fermentatione computreſcere. Pus eo pacto in Hæmorrhoidibus confectum per carioſam earundem baſim cuniculos altè agit in ſubſtratas partes, ac brevi temporis intervallo Fiſtulam perfectam producit.

3°. Furunculi tumores ſunt acuti, duri, faſtigiati, ovi columbini magnitudinem non excedentes, calore, rubore & dolore ſtipati, maximè cum ſuppurantur. Sedem propriam habent in cute, fiuntque à miliaribus glandulis in tuberculum tumefactis ex retento congeſtoque humore inſenſibilis perſpirationis, cui ſecernendo ex naturâ vacant.

Ani confinia ſolent iis infeſtari, ſicut cæteræ corporis partes: imò frequentiùs duplici de cauſa. 1°. Quia nates ſibi applicitæ obſtant difflationi mucoris, qui à cutaneis glandulis extiliat, unde in eis faciliùs hæret & cumulatur. 2°. Quia prava

liquamina, materiæve, quæ ab ano defluunt, acidæ, viſcoſæ, argillaceæ &c. obſtipant glandularum emiſſaria, adeoque humoris excretioni officiunt, unde præternaturalis congeſtio.

Initio exigua eſt in Furunculis inflammatio, parvaque apparet papula ſubdura, in acumen tendens, quæ ſenſim ad ovi columbini magnitudinem excreſcit, creſcente ſimul calore, rubore, inflammatione comite. Exinde, dùm pus conficitur, intenduntur omnia, ac dolor ſævus & perterebrans diſcruciat; atque demùm rupto tumoris faſtigio & materiâ lentâ glutinis inſtar viſcoſâ per ſuppurationem eductâ, cavitas intus ſupereſt vacua, quæ ad perfectam curationem carne replenda eſt.

Verùm ſi major cutis denſitas, aut præpoſtera repercutientium admotio ruptionem tardaverint, ſi pus anguſtiori foramine emiſſum lentiùs educatur, ſi ex pravâ ſanguinis diatheſi vitioſa peccet acredine, cuniculis intra ſubſtratos adipis ſacculos latenter actis Furunculus, qui levis eſſe videbatur gravis Fiſtula brevi fiet.

4°. Plures ad anum proſtant glandulæ lymphaticæ, mole parvæ, adipi immerſæ, quæ prima ſunt lymphæ à vicinia confluentis diverticula. Conſtant multis veſiculis,

ſive cellulis, membraneis, contiguis, mutuiſque oſtiolis invicem communicantibus. Lympha itaque huc vaſis exiibus advecta primis cellulis ſtatim infunditur, ac inde contiguas alias aliaſque ſucceſſivè prætergreſſa in novos tandem ductus transfunditur prioribus penes ſtructuram ſimiles, numero quidem pauciores, ſed ampliores patentioreſque, quibus aliò defertur, uti dictum eſt

Quandiu lympha nativam fluiditatem retinet, tandiu retinent ipſæ glandulæ parvitatem connatam, quia quantum lymphæ immiſſario admittunt, tantumdem dimittunt oppoſito emiſſario: ſed lympha eadem, ſi viru venereo, vel ſtrumoſâ lue inquinetur, & inde craſſior fiat, minuſque fluxilis, in deſcriptas glandulas ſenſim congeſta, eas infarcit, diſtendit & tandem inflat in phymata ſive tubercula dura, globoſa, renitentia.

Si lympha hærens dulcis, inſulſa, glutinoſa ſit, ſi abſint cauſæ quæ ſuppurationem excitent, enata tubercula dura perſtant & renitentia, ſed cruda & immutata: Contrà verò, ſi lympha ſalſo-acris ſit, aut ſi concurſus acceſſerit plurium cauſarum ſuppurationem moventium, quas ſuprà retulimus, brevi ſolent abſcedere, latenter

quidem & obſcurè, quandiu pus in phymatum meditullio denſis clauſtris cœrcetur: at ubi primùm ruptis eroſiſve cancellis foras proruperit, manifeſtum abceſſum, Fiſtulamque citò accerſit.

5°. Multæ in ani marginibus pullulant excreſcentiæ figurâ diverſæ, unde diverſa nomina ſortiuntur; Aliæ *Criſtæ*, quia gallinarum criſtis, aliæ *Thymi*, quia thymi floribus, aliæ *Condylomata*, quia digitorum condylis, ſeu internodiorum protuberantiis, aliæ demum *Fici* ſive *Mariſcæ* apellantur, quia ficubus ſimiles ſunt.

Una omnium cauſa eſt, ſcilicet præternaturalis lymphæ nutritiæ congeſtio; hanc promovent 1°. Nimia divulſæ cutis relaxatio à diſtractione, ut in cinædis, unde lympha debiliùs exprimitur. 2°. Obſtructio & tumor glandularum confinium miliarium, cuti intextarum, ut in ſyphiliticis, unde circulatio lymphæ circumfluæ retardatur; utroque modo lympha retinetur, & cutis partem, in quâ hæret, nutrit uberiùs aggeſtu perpetuo, ac tandem in excreſcentias figurâ & magnitudine varias inflat, prout ipſa quantitate vel qualitate variat.

Excreſcentiæ iſtiuſmodi, cum ab hærentis lymphæ colluvie ſoboleſcant, ſolent

non rarò computrescere, vel in extremis limbis, vel in medio, sed cancrosâ suppuratione, à qua sanies tantùm exsudat virulenta & ichorosa; Inde conceptum semel malum citò serpit per fungosam excrescentiarum substantiam, ac in corruptâ basi, cui radicantur, malignam Fistulam sæpe progenerat.

6°. Rhagades sunt leviores & oblongæ scissuræ inter ani rugas; Fiunt vel distractione, quâ discinduntur, vel rosione, quâ sauciantur rugarum interstitia: distractione quidem, à violentâ duriorum fæcum egestione, vel à nefandâ cinædorum patientiâ; Rosione verò, ab acrimoniâ succorum, qui è fluentibus Hæmorrhoidibus, suppuratis excrescentiis, aut intestinorum cavo, ut in dysenteria, hypercatharsi, &c. depluunt, & qui, quamquam abstergantur, hærent tamen impacti inter plicas, quarum intervalla sensim erodunt.

Malum hoc, si recens sit, & à levioribus causis ortum habeat, v. g. à fæcum duritie, aut à succorum acrimoniâ, qui in hypercatharsi evacuantur, vel sponte cessat, vel medicamentis facilè cedit: at si diuturnum sit, aut à syphiliticâ sanguinis dyscrasiâ foveatur, inducto labrorum

callo in ulcra cacoëthea degenerat, imò non rarò in graves Fistulas, quæ Chirurgiæ opem depoſcunt.

ARTICULUS IV.

De ſymptomatis Fiſtulæ ani.

FISTULARUM ani ſtatus duplex eſt, unus dùm fiunt, alter dùm factæ ſunt & confirmatæ, unde duplex quoque ratio ſymptomatum, quæ inferunt.

I. Abundè jam ſuprà innuimus Fiſtulas ani duobus modis produci, vel invaſione ſubitaneâ per abſceſſionem, ut in ecchymomatis, furunculis, phymatis venereis ſtrumoſiſve; vel tacito progreſſu per exulcerationem, ut in Hæmorrhoidibus ſuppuratis, excreſcentiis putreſcentibus & rhagadibus.

Si prius, adeſt initio tumor, calor, rubor, dolorque partis, quales phlegmonen ſolent comitari. Hæc tandiu intenſa, quandiu fit ſuppuratio, ſponte remittuntur pure ſemel confecto. Indè rupto abſceſſus ambitu pus educitur non paucum, quo exhauſto ulceris labra ſibi mutuò adducta ſenſim coaleſcunt; unde ægrotantes fauſta ſibi omnia pollicentur; ſed apparentem

eam ulceris coitionem, cito excipit nova abſceſſio, & hanc nova ſimiliſque priori ulceris coitio, quæ ſic pluries alternantur, donec Fiſtula tandem emerſerit.

Si poſterius verò, ſuppuratio tacitè inchoata latenter ſerpit & cuniculis haud ægrè & ſine notabili doloris ſenſu actis in ſubjectam carnem, quæ jam mollis & fungoſa eſt, ægrotantes incautos fallit, qui eo Fiſtulorum generediù laborant inſcii.

Cæterùm in utroque caſu pus qualitate peccans & hærens intra eroſas partes earum labra brevi indurat in calla, ſtamina, quibus contexuntur, ſalinarum partium ſubingreſſu denſando & conſtipando, unde perfecta confirmataque Fiſtula exurgit.

II. Fiſtulæ eo modo confirmatæ varia accidunt ſymptomata, ſed quæ ex notâ morbi naturâ facilè deducuntur.

Sic v. g. 1o. Fiſtula quævis, cum callo circumquaque obvalletur, debet rigeſcere & prementi digito reniti, magis tamen minuſve pro diverſâ callorum mole & duritie.

2o. Fiſtula quælibet, quandoquidem rigeſcat, nec comprimi nec diſtrahi poteſt niſi violentè & dolorificè, unde ſubdolere ſolet, ſi anus quomodcumque prematur

diſtrahaturve ambulatione, ſeſſione, equitatione, egeſtione, &c.

3°. Carioſa ulceratæ partis labra partem lymphæ, quâ naturaliter madent, in ulceris cavum perpetim eructant, quæ inde fermentatione, quam morâ contrahit, putrefacta foras guttatim exſtillat, ſub ſpecie puris ichoroſi.

4°. Fiſtula vel extrorſum, vel introrſum, vel utrinque aperitur. Hinc varia eſt puris emittendi ratio, modò enim ad ani margines effluit, modò in ani interiora, modò utròque, ſed ſemper copioſius uberiuſque egeſtionis tempore, quia Fiſtulæ cavitas à fæcum excluſarum mole comprimitur, aut ſubſequente ſphincteris contractione conſtringitur.

5°. Nervuli per medios Fiſtulæ parietes ultrà prætergreſſi, ſi carne, quâ muniuntur, nudentur, puris morſibus apertè patent, unde vividus dolor; qui non tamen ad partem, in quâ vellicantur, ſed juxta naturæ leges ab Authore ſummo decretas ad partes, in quas terminantur, refertur; atque inde eſt ſenſus lancinantis doloris, qui per Fiſtulæ confinia hac & illac identidem videtur diſcurrere.

6o. Quoniam ſanguis per Fiſtulæ calloſæ viciniam ægriùs circulatur, Quoniam pus

pus in Fistulam confluens pro variis erratis in victu variè peccat; Quoniam pars Fistulâ erosa multis externis impressionibus multifariam exposita est, debent inde frequentes labrorum Fistulæ inflammationes, purisque decubitus copiosiores contingere: unde Fistula, quæ sensim exhausta arescere videbatur, levi de causa recrudescit, & pus copiosum evomit.

7o. Inde sinus anteà geniti augentur & invalescunt, novi de novo cuduntur, anfractus multiplicantur, ac demùm Fistula, quæ initio simplex fuerat, composita fit & cuniculosa.

8o. In illis pus vario sinuum labyrintho hæret & retinetur, adeoque multa lymphæ circumfluæ suggerit miasmata salso-acria, quæ cætera cruoris principia atterendo, dividendo, fermentando, accersunt tùm febrem lentam, tùm febris lentæ comites perpetuos, marcorem & marasmum.

9o. Illa singula singulis ferè Fistulis communia sunt; at ista peculiaribus peculiaria; Nempe in Fistulâ completâ liquidior fæcum portio in illius cavum intrusâ nisu egerendi, eâ viâ foras excernetur.

1o. In Fistulâ completâ, quæ in viris in urethram aut vesicæ collum cuniculos

egerit, urina mictionis tempore, tùm per anum, tùm per Fistulam, profluet, sed vice versâ retenti quoque peditus per urethram prorumpent.

11°. In Fistulâ perinæi, quæ in fæminis in anum & in vaginam hinc & inde penetraverit, tùm fæces per vulvam egerentur, tum catamenia in rectum propter declivitatem viæ illapsa, ano profluent.

Plura sunt alia hujuscemodi symptomata rariora, quæ rarioribus fistulis accidunt, sed quæ ex notâ partium affectarum structurâ & positurâ, quam suprà exposuimus, explicare difficile non est.

ARTICULUS V.

De signis diagnosticis & prognosticis Fistulæ ani.

UT varius est Fistularum ani situs statusque, sic earundem diagnosis varia variisque signis eruenda est.

1°. Fistula ani completa vel extrorsum aperta indicatur brevi & exiguâ papulâ ad ani marginem sitâ, in medio dehiscente, unde humor ichorosus identidem promanat: clariùs denotatur tumore duro

& renitente, qui papulæ ſubjectus ani confinia occupat, ac comitem habet dolorem pulſatorium vel lancinantem, maximè quando equitatione aut egeſtione fæcum comprimitur: evidenter demùm demonſtratur immiſſione ſpecilli, quo Fiſtularum ſedes, ſpatia, noxæ certò colliguntur. Si demiſſum ſpecillum ſiniſtræ manus indicem ano intruſum attigerit, Fiſtulam *completam*, ſi ab eodem membranarum interventu diſtiterit, *incompletam* eſſe conſequens eſt.

Ani verò fiſtulam, quæ in rectum patet, ſignificat tumor durus & circumſeptus in ani confinio, cùm dolore pulſatorio vel lancinante: apertiùs declarant puris emiſſio cùm fæce, vel ſub egeſtionis finem, & digito explorata recti labes lateralis, qua Fiſtula ano communicat: apertiſſimè tandem patefacit ſpecilli immiſſio, ſimul ac Fiſtula arte vel naturâ completa fuerit.

Memoratis ſignis ani Fiſtula à cæteris quibuſcumque partis ejuſdem affectionibus facilè diſcernitur. In rhagadibus nempe, criſtis, condylomatis, nullus puris effluxus, vel cujus, ſi quis adſit, ſcaturigo oculis inſpicitur. In Hæmorrhoidibus verò, quæ fluunt, manat quidem non rarò poſt emiſſum cruorem, humor lympha-

ticus, subflavus, ichorosus, sed qui neque purulentus, neque permanens, neque tumore subjecto stipatus est, adeoque ab effluxu Fistularum facilè distinguendus.

Quod ad prognosim, in genere omnis ani Fistula gravis est, tùm ratione sui, quia labem solidarum partium haud levem supponit, tum ratione symptomatum, quia sinus callosque multiplices citò generat; tum demùm ratione remedii, quia, ut curetur, sectionem exigit Chirurgicam doloris & periculi plenam.

Verùm prognosis ea generalis variè variat, pro vario Fistularum statu situque.

Sic 1°. Fistula recens inveteratâ levior, quia minorem supponit labem, callosque haud ita induratos.

2°. Fistula simplex anfractuosâ & cuniculosâ tutior, quia & minus inde partis vitium est, & minori potest sectione curari.

3°. Fistula marginalis brevisque altâ & profundâ curatu facilior, quia tunc pauciores læduntur sphincteris fibræ, ac integer superest densior earundem manipulus.

4°. Fistula ad anum tantummodò directa, iis quæ ad prostatas, vaginam,

uropygium, &c. tendunt minus periculosa, quia simplicior est, opemque Chirurgicam facilius admittit.

Itaque g *expedita curatio est in Fistula simplici, recenti*, marginali vel brevi, ad anum tantum pertinente, *adjuvatque ipsam corpus juvenile, si firmum est. Inimica contraria his sunt*

Tandem planè deploratæ Fistulæ ani, quæ vesicam aut vesicæ collum, vel prostatas attingunt, quæ altè in rectum ascendunt supra sphincteris limites, quæ tabido, senili, cacochymico corpori contingunt, vel quia Chirurgicam operationem nullam admittunt, ob altiores & profundiores morbi terminos, ut ex anatomica harumce partium descriptione, quam suprà tradidimus evidens est; vel quia admissam eludunt, ob corrupti sanguinis dyscrasiam,

ARTICULUS VI.

De Curatione Fistularum ani.

CUM duplex sit Fistularum status, imminentium nempe & confirmatarum, inde quoque duplex in medendo fi-

g Celsus lib. 5. cap. 28. art. 12.

nis, prophylacticus unus, ut præcaveantur imminentes Fistulæ, alter therapeuticus, ut curentur confirmatæ.

I. Circa prophylaxim, quoniam jam suprà dictum est Fistulas posse in ano produci duobus modis, vel suppuratione juxtà latente, ut à putrescente ecchymomate, abscedente tuberculo, furunculo profundiore, &c. vel ab exulceratione sensim interiùs prorepente, ut ab Hæmorrhoidibus, condylomatis, rhagadibus ulceratis, debet inde varia multiplexque esse cautionis & provisionis ratio.

1°. Quidem, si gravior ecchymosis ani confinia occupet, minuendus illicò sanguis, ut depletis vasis, laxatoque partis contusæ tono, resolutio feliciùs succedat. Dein pars calidè fovenda aquâ vulnerariâ, vel spiritu vini, sive solo, sive camphorâ & sale ammoniaco acuato; vel ecchymomati imponenda offa ex tusæ parietariæ magmate, cui spiritus vini largiter superaffunditur. Imò, si effusus cruor laceratas partes copiâ inundaverit, cutis altè scarificanda, ut hinc suppurationis ope possit liberiùs sanguinis crassamentum educi. Simul autem conducit internè terebenthina veneta, balsamum copaïvanum, peruvianum, &c. cum iteratis haustibus infusi

vulnerarii ex herbis, quæ ab Helvetia solent asportari.

2°. Si phyma phygethlonve juxta podicem enatum tacitam suppurationem videatur meditari, quod ex repetitis lancinationibus licet conjicere, prudentis est medici morbi causam sedulò attendere, ut notam certiùs oppugnet. Itaque si à Syphilide latente phyma sobolescat, citò adhibenda hydrargyrosis, quâ non alterum præsentius efficaciusque remedium datur ad plenam perfectamque phymatum venereorum discussionem. Si verò strumosa lues morbi causa sit, resolutio oborti tuberculi exteriùs tentanda allatis resolventibus, illitu mercurialis unguenti, applicatione laminæ plumbeæ, quæ mercurio vivo identidem dealbatur, aut panni lanei spiritu salis ammoniaci madidi & sæpius renovandi. Interiùs verò simul usurpanda attenuantia & incidentia, quæ crassam viscidamque lymphæ crasim atterere & dividere valent, inter quæ decantatissimus pulvis anti-chæradicus ex æqualibus æthiopis mineralis, pulveris millepedum, croci martis aperientis, & diacridii sulfarati portionibus, cujus dosis in adultis à drachmâ semisse ad scrupulos duos; aut pulvis alter mitior blandiorque, ac

proinde junioribus magis conveniens, ex æqualibus partibus florum mercurii violaceorum, & rhabarbari pulverati, cujus dosis à gr. xij. ad scrupj. pro infantibus.

3°. Quod si elusis memoratis auxiliis, ecchymosis, phymave in suppuratum vertantur, vel si furunculus depressior, adeoque profundior ani marginibus insederit, juvanda maturatio cataplasmatis emollienbus ex foliis acetosæ, brancæ ursinæ, malvæ &c. radiicbus liliorum, altheæ, &c. ad putrilaginem coctis, & oleo liliorum dilutis, quibus in urgentiori casu addi solent fermentum panificum, unguentum basilicum, limaces contusi, &c. Dein statim atque tactu judice prima apparuerint suppurationis indicia, crudus *h* tumor confestim incidendus, ut materiæ via fiat, non expectatâ perfectâ abscessione, ne pus acrius morâ vicinas recti tunicas sauciaret & exederet. Debet autem lata ea institui & ampla abscessûs apertura, ut fundum pateat prospectui, ac remediorum præsentiam commodè admittat, quæ primò suppurantia, inde detergentia, ac demùm epulotica adhibenda sunt eâ methodo, quam infra fusè tractabimus, ubi de therapeuticâ Fistularum ani curatione.

h Hippocrates lib. de Fistulis.

4°. Si Hæmorrhoides purulentæ fiant & cariosæ, promptè exscindendæ. Id quidem facile est in externis, quæ oculis subjiciuntur; at operosius in internis, quæ latent. Perficitur tamen & in istis quoque, modò Chirurgus industrius sit, podexque speculo ani aptè dilatetur. Inde superstites calli, si qui in Hæmorrhoidum basi adsint, cathæreticis levioribus exedendi, vel suppuratione discutiendi, ulcusque solitâ methodo sensim solidandum. Cæterum operationem eam solet non rarò gravis Hæmorrhagia subsequi, sed quæ in externis Hæmorrhoidibus facilè sistitur admotis vitrioli fragmentis; in internis verò, si ignoratione loci, unde sanguis scaturit, remedium idem non succedat, syphone ano injiciendus liquor stipticus D. Matte, olim, dum in vivis erat, clarissimi nostræ Academiæ Demonstratoris Chymici, cujus efficaciam pluries feliciter experti sumus. Duo autem prostant liquoris hujusce processus in pharmacopœa *i* Charasii, sed posterior solùm pro sincero Patris processu admittitur à D. Matte filio, qui paterni nominis munerisque hæres est.

5°, Pari modo condylomata, cristæ,

i Pag. 185. 2. part. nostræ Editionis.

fici &c. forfice vel novaculâ, fi duriora fint, refecari debent, quando ulcerantur vel cancrofa fiunt, bafifque cathæreticis exedenda, ut calli, quibus fcatet, & quæ morbum intulere, abfumantur. Inde vulgari ordine fuppurantibus, detergentibus & epuloticis curandum ulcus, donec in firmam cicatricem coeat. Ea methodo in hifpano quodam condyloma grave duobus digitis altum & uno craffum, quod podicem circumquaque obvallabat, feliciter curatum vidimus. Quod fi, ut frequens eft, virus venereum morbi caufa vel fomes fit, mercuriali inunctione priùs oppugnandum quam condylomatum fectio inftituatur, eo fine, ut reftitutâ fanguinis eucrafiâ vulnus faciliùs citiùfque coalefcat.

6°. Demùm, fi rhagades ulcere altiùs penetrent, callofa illorum labra cathæreticis rodenda, vel fcalpello exfcindenda, vulnufque probè refricandum; ut cicatrix debita poffit fuccrefcere; ac dein præmiffâ fuppuratione detergentibus & epuloticis potiffimum infiftendum. Internè verò fimul ufurpanda, quæ fanguinis acredinem temperare & noxii humoris decubitus in partes averruncare valent.

II. Verùm, fi neglectis illis cautioni-

bus, vel ſeriùs aut perperam adhibitis, malum initio levius in Fiſtulam ſemel degeneraverit, propria tunc adhibenda therapeia. Sed, ut ea certiùs inſtituatur, noſſe priùs expedit, an Fiſtula arte ſanabilis ſit, an verò planè deplorata Naturæ viribus ſit committenda, quod ex ſuprà allatis ſignis poteſt conjici.

Si poſterius, ab operatione cautè abſtinendum, tanquam temerariâ. *Fiſtulæ enim*, ut ait *k* vetus Albucaſis verſio, *quæ ad veſicam, vel altiùs in rectum, vel ad oſſa ancharum aut caudæ penetrant, non curantur, quoniam earum curatio non eſt niſi labor infirmorum, & fatuitas ſtultorum Medicorum.* Tunc ergo curæ *palliativæ*, ut aiunt, tantùm inſiſtendum, eoque fine præſcribenda interiùs blandiora cathartica, quæ vitioſos humores evacuent; priſana exſiccans ex ſchinâ & ſalſa-parillâ, quæ ſalium acriorum partem per Diaphoreſim & Diureſim educat; frequens lactis uſus crudi ſive cocti, quod reliqua temperet; Balſama varia, ut Copaïvanum, Peruvianum, &c. quæ puri edulcando conducant. Exteriùs verò pars calidè fovenda decocto vulnerario, vel aquâ thermali Balerucanâ, injectiones celebran-

k Apud Guid. de Cauliaco, loco ſuprà laudato.

dæ ex iisdem, quibus tantillùm dissolvatur Balsami viridis Metensium, si detersione, vel Balsami Copaïvani, si glutinatione opus fuerit.

Si verò Fistula levior curationem admissura videatur, ægerque viribus valens remedia sit facilè toleraturus, ea eligenda therapeia qua integritati restituatur. Quatuor autem recensentur, quæ Fistulas ani diversis mediis sanant, Ligaturâ nempe, Cathæreticis, Injectionibus & Chirurgicâ sectione.

Antiqui ligaturâ olim utebantur, qua setâ vel lino crudo, quincuplici, contorto, per Fistulam completam trajecto, carnem quæ suprà esset vinciebant, nodumque in dies arctiùs stringebant, donec cutis astricta paulatim incideretur. Verùm eam methodum, quamquam ab Hippocrate *l* & Celso *m* commendatam, non tædiosam modò, sed quoque inefficacem esse experientia demonstravit, cùm eo pacto, si major sinus, in quem linum trajicitur, at certè non minores alii, lateralesque curentur, quibus Fistulæ abundant.

Invaluit inde cathæreticorum usus, quæ Fistulis insinuabantur, donec exesis callis cicatrix coiret; sed ea therapeia iisdem

l Lib. de Fistulis. *m* Lib. cap. 4. artic. 4.

laborat incommodis : cum enim in obſcuro laboretur, neque laterales ſinus ullatenus attingi poſſunt, neque certò ſciri an major ſinus perfectè curetur.

Subſtitutæ cathæreticis injectiones detergentes, vulnerariæ, balſamicæ &c. commodiores quidem videntur, quia parum dolorificæ, ſed tamen æquè fallaces, cum ſic laterales ſinus perſtent intacti : imò verò ſæpe nocivæ, quatenus oſtio Fiſtulæ externo potentiùs deterſo, ideoque citò coaleſcente, pus intra collectum novas tragœdias edere ſolet.

Inde ſane nequaquam mirum à Veteribus Fiſtulas ani, quaſi inſanabiles, habitas eſſe : cùm eas tantum adhiberent therapeias, quæ perfectæ curationi impares eſſent, neque auderent ſectionem Chirurgicam inſtituere, ne Sphincter ani læderetur, tametſi ab Hippocrate *n* disertè moniti, nullam ab inciſo ano noxam inferri.

At nunc audentiores facti fauſtis experimentis, quæ regis LUDOVICI XIV. eo morbo laborantis cauſâ inſtituta fuere, ſectione Fiſtulas quaſcumque curamus, modò ipſarum altitudo permiſerit, & hinc, niſi deploratæ eſſent, tutò, citò, & mi-

n Lib. de Hæmorrhoidibus.

nori doloris tædio ſanari ita conſtanter experimur, ut ea Fiſtulis ani medendi ratio ſola nunc uſu vigeat, ideoque paulo fuſiùs exponenda videatur.

1°. Quidem, ſi morbi ſtatus conſentiat, eligenda ad ſectionem anni tempeſtas temperata, & curandis vulneribus opportuna. Inde præmitti debent remedia univerſaliora, quæ humorum ſaburram evacuent, & ſanguinis dyſcraſiam vel orgaſmum, temperent vel compeſcant. Demùm uno aut altero ante ſectionem die, clyſteribus eccoproticis alvus ſubducenda, ut fæcum craſſamentum everratur, ideoque venter tardiùs exin deponatur: alvi enim pigritia cicatricis firmitati ac celeritati mirè conducit.

2°. Statim atque omnia ad operationem comparata erunt, ægro antrorſùm reclinato, diſtractiſque clunibus, ſpecillo explorandum an Fiſtula completa ſit, nec ne. Si prius, doloris indè laboriſque compendium. Si poſterius, completa reddenda eſt, quod quidem in cæcâ externâ facile eſt, ſpecillo tenuiore per fiſtulæ fundum ad ſiniſtræ digitum ano intruſum vi adacto. Operoſius verò in cæcâ internâ, quia finis Fiſtulæ latet extrorſum. Eum tamen plerumque indicant tumor, callum, ru-

bor fastigiata papula, quæ exteriùs sensibus obvia locum designant, quo cutis incidenda sit, ut sinus inveniatur. Quòd si ea defecerint indicia, immittendum in anum specillum recurvum, cujus crus brevius interno Fistulæ ostio suspensâ manu sensim insinuandum, donec prominente apice Fistulæ fundum & incisionis locum apertissimè demonstret.

3°. Per Fistulam eo modo naturâ vel arte completam specillum plumbeum in rectum demittendum, cujus extremum ex ano retractum cum altero in circuli formam conjungendum. Inde carnis intercapedo hoc annulo comprehensa transversim incidenda, superflua labra forficibus amputanda, exscindendi calli, laterales sinus aperiendi, resecandæ transversæ habenulæ, tandem complananda omnia, ita ut prospectui & remediis pateant, atque aptâ viarum declivitate faveant puris emissioni.

4°. Incisa pars linamento carpto statim completur; inde primis diebus Digestivo communi vel solo, vel æquali parte Balsami Arcæi temperato curatur; post aliquantulum temporis intervallum Balsamum Arcæi purum & sincerum adhibetur; ac demùm sub finem suppurationis,

ulcus frequenter eluitur fotu vel injectione aquarum Balerucanarum tepentium; quarum in simili casu efficaciam notam & acceptam debemus *o* Viro Clar. D. CHIRAC, Principis Regentis Archiatro, & dulci Academiæ nostræ decori.

5°. Per id tempus utatur æger diætâ tenui, initio scilicet jusculis solis, postea cremoribus dilutis. Duplex autem hujus regiminis finis; primus, ut febris præcaveatur, quam largior nutritio accerseret: secundus, ut usu tenuioris nutritûs fæcum subtrahatur materia, quæ egestione importunâ vulneri nocerent; & sane ita plerumque succedit ea præcautio, ut sive ob tenuem victum, sive ob præmissos clysteres, sive demùm ob convulsivam sphinctris constrictionem, qui ab operatione inflammatur, alvus per plures dies continuos ita retineatur, ut tandem imminenti dejectioni, quam frequentiores borborygmi prænuntiant, enemate laxante præeundum sit, ut emollitæ fæces duriores teneram cicatricem non lædant.

6°. Eâ methodo carnes brevi progerminant, derasamque partem replent, non quidem, quod novæ progignantur, &

o In dissertat. Academ. de Vulneribus.

in

ex immotis ulceris labris excrescant; neque enim generatio nervorum, vasorumque, quæ per cicatricem serpere observantur, fortuitæ concretioni adscribenda est; sed quòd ulceris labia à compressione libera faciliùs ipsa cedant appellenti lymphæ, & uberiore ejusdem appositione crescant uberiùs cum suis vasis, donec coalitu mutuo ulceris cavum compleverint.

7°. Ut autem carnium pullulantium firmitati consulatur, solet sub curationis finem Balsamum viride Metensium Balsamo Arcæi admisceri, vel sincerum admoveri. Imò, si carnes fungosiores sint, & ulcus sordidius videatur, utile erit Balsamum, ut aiunt, *Chalybis*, quod paratur ex acicularum solutione in spiritu nitri, cum oleo olivarum arte ita commixta, ut in consistentem Balsamoque similem massam unà abeant, quæ pluries aquâ eluenda, ut edulcetur. Demùm affluentes carnes, ut vicinis exæquentur, restringendæ sunt, vel linamento sicco, vel usto alumine, vel infernali lapide, donec in firmam cicatricem coiverint.

Ex his ergo liquet sectionem Chirurgicam in Fistulis ani omnibus, nisi deploratæ sint, tutò feliciterque celebrari;

neque iis curandis promptiorem aut certiorem medelam afferri posse, unde jure concludimus.

Sectionem Chirurgicam Fistulis ani convenire.

ERUDITO
D. D. FRANCISCO TEXIER,
PRIMUM MEDECINÆ,
GRADUM AMBIENTI.

FELIX hora, in quâ docto certamine vinces!
Accipies meritis præmia digna tuis.
Ipsæ certatim Musæ tua tempora lauris
Cingent, & meritas addet Apollo novas.

Obtulit in æternum amicitiæ pignus
JOAN. STEPH. DANIEL DESHAYONS,
Novicastræus apud Rothomagenses,
Med. Baccal. & Universitatis Consiliarius.

EIDEM.

TU Medicis quondam claris majoribus ortus,
Qualia, TEXERI, magnæ præludia mentis!
Tu propriâ fulges, fulges Tu laude Paternâ,
Mortalem nusquam uberiùs Natura beavit,
In Te namque locum Virtus posuisse videtur.
Quot Tibi scripta parant Famæ monimenta perennis?
Dùm durâ pietate doces exscindere ferro
Ulcera Chirurgos, solvant ut membra dolore.
Ergone jam mirum celebris si turba Sororum
Laudibus hocce Tuum certet decorare Triumphum?

Cecinit in perpetuum amicitiæ monumentum JOANNES JOSEPHUS DUFAURE *Bellilocensis Vice-Comitatus Turrenensis, Artium Liberalium Magister & jamdudum Medicinæ studiosus.*

EIDEM.

ERGO age: nunc meritas, TEXERI, collige lauros,
Ingenii fructus pariter, pariterque laboris.
En cito communis nostræ tu gloria gentis,
Majores Medicos revocas, quos Fama per Orbem
Prædicat illustres; eadem te Fama sequetur.

Sic offerebat amico suo in æternum societatis, & amicitiæ monumentum FRANCISCUS TAMAGNON *Nontronensis apud Petrocorios Artium Liberalium Magister, & jamdudum Medicinæ alumnus.*

EIDEM,

DISTICHUM.

MActe animo, propera, Texeri, carpere lauros
Quas Tibi ſuetus Avis tradere, Apollo dabit.

Sic de amico augurabatur Joannes Labadie *Balnerienſis apud Bigerriones, Artium Liberalium Magiſter & jamdudum Medicinæ Studioſus.*

EIDEM.

TU Proavum, Patremque duces, Fratremque sequeris,
Texeri, Medicos; nec mihi vana fides.
Quas dedit his quondam, Tibi dat jam gloria vires
Quas dedit his palmas, servat & illa Tibi,
Quid mihi nunc restat, læto quam plaudere versu,
Plura sed indocilis dicere Musa vetat.

Obtulit in æternum amicitiæ monumentum Joannes Parat *Confluentinus apud Pictones, Artium Liberalium Magister & jamdudum Medicinæ Alumnus.*

EIDEM.

DOctiloquis Linguis celebrandas carmine laudes
Dicere promerito morosa Camæna recusat:
Sed votis sat erit modo, quem suscepit alumnum
Artis Pæoniæ Deus, hunc mihi servet Amicum.

Posuit in æternum amicitiæ monumentum ANDREAS-JOSEPHUS SERON *Parisiensis, Artium Liberalium Magister & Medicinæ Studiosus.*